



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

11 Aliqua inferuntur pro clariori intelligentia superioris doctrinae de metu
gravi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

Secunda sententia quoad primam partem nobilium consentit; quoad secundam, quae nobis non probatur, respondeo neminem obligari posse ad matrimonium, vel professionem ab alio, quam à se ipso absolute: potest tamen sub conditione obligari, scilicet, si velit, ut tu cedas alicui iuri, quod habes adversus illum, ob cuius cessionem expostulas matrimonium, vel professionem, tunc enim non cogis ad matrimonium, sed ipse se cogit, qui vult cessionem impetrare.

Ad secundum respondeo concedendo metum iniuste incussum, qui sufficiens sit ad rescindendos alios contractus, annullare matrimonium, sed quia metus iuste incussum etiam cum enormi laesione, non rescindit ceteros contractus ratione metus, sed ratione laesionis, ea de causa non annullat matrimonium.

Dices, Et si non annullat ratione metus, debet annullare ratione laesionis.

Respondeo, si laesio sit circa substantiam contractus, fateor annullare; si sit circa accidentia, nullo modo annullat. Laesio autem circa substantiam in contractu matrimonij, solum contingit, quando est error in persona, vel conditione feruli, ut si contrahas cum Maria putans esse Catharinam; vel contrahas cum ancilla, putans esse liberam. Existimare autem esse nobilem, divitem, vel virginem, non ad substantiam contractus sed ad accidentia illius pertinet, ac proinde non annullat talis laesio. At in reliquis contractibus bonae fidei, quilibet laesio in pretio, est laesio in substantia, eaque de causa rescindi contractus potest, vel ad aequalitatem reduci, & ita docuit Sanchez lib. 4. disp. 6. n. 15.

Ad tertium concedo delicti accusationem non ad matrimonium de se ordinari, sed ad punitionem. Nego tamen te committere iniustitiam extorquendo matrimonium, ut ab accusatione cesses, quia non extorques matrimonium absolute, sed sub conditione, quod alius velit te cedere iuri accusandi.

Sed inquires, an si minans alicui malum sine animo inferendi, et si posses iuste inferre, valeas retinere, quod sic extorques?

Molin. tom. 2. de iustit. tractat. 2. disputat. 514. sine, negat retinere posse. Primò, quia alius non donat, nisi in quantum intelligit sibi necessarium esse ad vitandum malum comminatum, alias non donaturus. At ad hunc finem non est necessarium, siquidem et si non donaret, adhuc malum non fieret. Ergo donatio est nulla.

Credo tamen probabilius retineri posse sic donatum, nec posse repeti. Probo, quando petis alicui pretium, ne accuset, carens animo accusandi, alicuique tibi pretium donat, donat pretium, ut cesset accusatio, non utrumque, sed ut cesset certò, securè, & irrevocabiliter. Ad cuius modum cessionis necessitati requiritur pretium esse donatum. Et confirmo, pretium expectari non solum ne accuset, sed ut ne possis accusare, et si velis, ac proinde, ut cedas iuri accusandi, cui cessionis impertinens est te habere, vel non habere animum accusandi. Neque obstat ratio in contrarium. Fateor delinquentem non daturum pretium, si cognosceret minantem malum non habere animum inferendi, at quia non dat, ut deponat talem animum, sed ut deponat certò, & securè accusationem, & hæc depositio non fiat sine obligatione, ideo donatio tenet. Sic docet Sanchez lib. 4. de matr. disp. 9. n. 9. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 42.

PUNCTUM XI.

Aliqua inferuntur pro clariori intelligentia superioris doctrinae de metu graui.

- 1 Valere matrimonium condemnati ad mortem, cui offertur libertas, si ducat filiam aut consanguineam occisi.
- 2 Quid dicendum de Medico nolente mederi, nisi ducas eius filiam.
- 3 Quid de iudice extorquente iuste matrimonium secundum allegata, & probata, iniuste tamen secundum rem.

1 Primò infero, validum esse matrimonium condemnati ad mortem, cui libertas offertur, si ducat meretricem, vel filiam, aut consanguineam occisi, quia tunc matrimonium non extorquetur per metum sed metu mortis iam per delictum incusso, offertur matrimonium, ut medium purgandi metum, ita Sanchez aliis pluribus relatis disp. 18. n. 9. & 10. quæ ratio non solum probat validum esse matrimonium a capto, condemnatoque iuste ad mortem, sed etiam ab eo qui iniuste capus, condemnatusque sit (modò tamen non capiat, vel condemnatur sine extorquendo matrimonium,) quia semper offertur matrimonium, ut medium purgandi metum aliàs incussum, sic Sanchez supra n. 11. Valent. tom. 4. disp. 10. q. 3. pun. 2. vers. decimus. Bonacina de matr. quest. 3. pun. 8. proposit. 2. num. 20. Coninch. disp. 28. de matr. dub. 1. n. 10. Nauar. lib. 1. conf. 11. de his quæ vi, conf. 8. in fine, 2. edit. Basil. de Leon. lib. 4. cap. 19. n. 2. et n. 13. aliqua ex parte contradicunt.

2 Secundò infero Medico nolentem te mederi, nisi ducas eius filiam, valere matrimonium, quia non timore mortis à Medico incussa matrimonium celebras, sed pretium curationis, quod esto excessivum sit, non annullat contractum, quia non est error & dolus in contractus substantia, sed in accidentibus, & ita tenet Cordub. sum. q. 171. p. 1. Coninch. supra n. 11. Sanch. disp. 12. n. 15. Bonacina n. 23.

Limitarem tamen huiusmodi doctrinam, nisi Medicus obligatus esset vel ex iustitia, vel ex charitate te mederi pretio communiter taxato, tunc enim minans non curare, nisi ob matrimonium, minatur metum iniuste inferendum, ac proinde sub metu, iniuste matrimonium extorquet, ita Basilius de Leon. cap. 13. n. 3. & 9. & cap. 19. n. 15. Egidius disp. 28. dub. 1. conclus. 3. n. 11. & 12.

3 Tertio inferitur, quid dicendum sit ad illam questionem, an sit validum matrimonium, si iudex cogat iuste secundum allegata, & probata, iniuste tamen secundum rem, ut si te cogat matrimonium contrahere cum femina post professionem datam fornicante. Thomas Sanchez lib. 4. disp. 34. n. 8. Bonacina de matr. quest. 3. pun. 8. num. 14. existimant validum esse matrimonium, quia huiusmodi compulsio, & coactio iuridica est, & iusta formaliter. Ergo non est rescindendum matrimonium ex illa contractum reprobatur à iure: si enim ius coactionem non reprobatur, sed potius approbat, quomodo potest matrimonium ex coactione conlatus reprobatur? Contra verò dicunt supradicti Doctores matrimonium non valere, si iudex cogat iniuste secundum allegata, & probata.

Nihilominus probabilius existimo ad iritationem contractus non esse attendendum, sine coactio iusta, & licita ex parte iudicis, sed potius sine iusta ex parte patientis coactionem. Fateor, inquam, quando iudex procedit secundum allegata, & probata, falsò tamen probata, iustam esse coactionem ex parte sua, at ex parte patientis, iustam non esse, sed iniustam, iniuste enim cogitur, cum ipse non dederit causam tali coactioni. Ergo ius irritans contractum ex coactione iniusta hunc casum non excludit. Secundò si pater alicuius puellæ minaretur adolescenti cum ea reperio, mortem, nisi duceret, nullum esset matrimonium, ut omnes Doctores docent in cap. veniens, et 2. de sponsal. quamvis ex errore existimaret pater sibi licitam esse coactionem, quia in re, & respectu patientis metum iniusta est, at quando iudex cogit ob allegata, & probata, quæ falsa sunt, in re, & respectu patientis metum, iniusta est coactio. Ergo rescindit contractum. Tertio si tibi falsò probetur te dedisse fidem puellæ de matrimonio contrahendo, & cogaris carere, vel excommunicatione contrahere, nequis dici causa talis metus, quia non tu, sed malitia, vel ignorantia testium illius est causa. Ergo rescindendum est talis contractus. Probo consequentiam ex l. si mulier 21. in princ. ff. de eo quod metus causa, ubi mulier contra patronum suum ingrata facta, timens ob ingratitudinem reducendam esse in seruitutem, hoc timore aliquid dedit, donatio non reuocatur: quia huic sibi metum ipsa inulit, Ergo ne rescindatur contractus, requiritur necessarium patientis metum, sibi metum inulisse: cum autem in presenti non sibi inferat metum, qui cogitur iniuste secundum allegata, efficitur contractum rescindendum fore. Quarto talis coactio iudicis in falsa præsumptione fundatur: sed ea quæ falsè præsumptio innotant, non habent locum in foro animæ, quæ veritati debet stare, cap. tua, cap. si qui suam, de sponsal. Ergo talis coactio in foro animæ non potest matrimonium approbare. Neque obstat ratio in contrarium. Dico enim illam coactionem iniustam esse ex parte patientis, licet non sit iniusta ex parte iudicis inferentis, ac proinde ius ipsum non reprobatur inferri, reprobatur autem sustineri, quod mirum non est, cum in falsa præsumptione fundetur, sicque tenet Basil. de Leon. lib. 4. cap. 19. n. 11.

PUNCTUM XXII.

An metus leuis irritet contractus.

- 1 Metus leuis neque iure natura, neque postremo irritat contractus.
- 2 An officio prætoris, vel in foro conscientie rescindendi sit.
- 3 Mulier, vel filius metu reuerentia consentiens non tenetur implere contractum.
- 4 Idem est dicendum de consentiente precibus importunitis.
- 5 Proponuntur adversus dictam aliquam obiectiones, & solvantur.

1 Qui dicunt iure naturæ metum grauem iniuste illatum irritare contractum, consequenter dicere tenentur metum leuem irritare, quia etiam iniustitia in tali metu intercedit. At quia probabilius existimamus metum grauem non annullare contractum iure naturæ, absolute dicimus metum leuem neque contractum rescindere, neque matrimonium, vel professionem annullare. Ratio omnium est, quia metum leuem pro nihilo reputari, quod constat ex leg. nec timorem 7. ff. de eo quod metus causa, & l. metus, eod. tit. ubi, metus vni hominis